# I.N.J. EXERCITATIONUM ANATOMICARUM IN PUBLICAS LECTIONES DE IIS QUAE CONTRA PERITIAM VETERUM...

Philipp Jacob Hartmann, Michael Kunter

Digitized by Google

Digitized by Google

1064 . 1

Digitized by Google

7

10 84.1

AI

I. N. J.

EXERCITATIONUM ANATOMICARUM
IN PUBLICAS LECTIONES
*DE IIS QUÆ CONTRA*

# PERITIAM VETE-RUM ANATOMICAM

afferuntur
IN SPECIE,
TERTIA:
*Quam*
*AMPLISSIMÆ FACULTATIS*
*MEDICÆ CONSENSU*,
PRÆSIDE
PHILIPPO JACOBO Hartmann/
Phil. & Med. D. Prof. Publ. & Adjuncto,
nec non Hiſtoriarum Profeſſ. Publ. Ordinario,
Facult. Philoſ. h. t. Decano,
Examini Eruditorum
ſubmittit
MICHAEL Kunter/
Pruſſ.
*Anno MDCLXXXXIII.*
*m. Septembr.*

---

*REGIOMONTI*,
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT. BRAND.
ET ACADEM. TYPOGR. HÆREDUM.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

1064.1

PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTISSIMO LONGOQVE RERUM USU MAXIME CONSPICUO DOMINO,

# DN. JACOBO HOFFMANNO,

Inclutæ & florentiſſimæ Reipubl. Lœbnicenſis Conſuli graviſſimo & per multos annos Meritiſſimo,

*MECÆNATI ATQVE PROMOTORI SUO OMNI OFFICIORUM CULTU ÆTATEM VENERANDO,*

Diſputationem hanc Anatomicam in favoris atq; benevolentiæ incitamentum, Studiorumq; ſuorum Commendationem,

Cum votô omnigenæ felicitatis devotâ mente ſumma cum reverentiâ

*offert*

MICHAEL KUNTER, Pruſſ.

# CAPUT XII.

I.

QVanam ex Partibus Generationi dicatis *in diſquiſitionem ſint vocandæ ratione* Peritiæ Veterum Anatomicæ. II. *quoad genitalia Virorum.* III. IV. V. VI. VII. *etiam juxta* Veteres *Epididymides eſſe Vaſorum continuatam ſeriem.* VIII. IX. X. XI. *non minus ac Teſtes.* XII. *Veſiculas ſeminales* Veteribus *nomine Proſtitum ſive Aſtitum Varicoſorum fuiſſe cognitas.* XIII. *Ex* Galeni Libris duobus de Semine, *ſubordinationem partium ſeminalium Maſcularum ad Generationis op · plenè addiſci poſſe.* XIV. *Loca de* Veſiculis Seminalibus *ex iſtis* Libris. XV. *Ex iisdem Loca de* Veſicularum *iſtarum &* Corporum glanduloſorum in urethra orificiis, *& de diſtincto humorum uſu.*

§. I.

POſt PARTES NUTRITIAS, illas alias, GENERATIONI DICATAS perluſtrabimus: Verùm non tam ampla hic novè inventorum præconia; quæcunque ſint, *genitalia* vel *Maſculini* vel *fœmini generis* reſpicient; quibus addemus, quæ *de ductibus ad mammas ac ad uterum pro nutritione fœtûs*, item quæ *de Vitelli in Inteſtinum tranſitu*, inter novè inventa memorantur.

§. II. Quoad GENITALIA VIRORUM, in tribus ferè noſtra gloriata eſt ætas, ac ſi novè iſta inveniſſet; *primò* quidem quod *Epididymides* vaſorum ſint continuatio, non autem peculiare parenchyma; *Pariter* quod *teſtes* ipſi non minus quàm Epididymides ſint vaſorum continuata ſeries; *deniq;* quod certa vaſcula, quaſi *receptacula* aut promptuaria *ſeminis maſculini*, Veſiculæ ſeminales vulgò, occurrant, & ab his diſtincta *Corpora glanduloſa*.

§. III. EPIDIDYMIDUM autem Naturam ut in diſquiſitionem vocemus, *R. de Graaf. in Tr. de Virorum Organis p. 21.* Veſalii, Fallopii, Bartholini, Veslingii & Highmori ſententias rejiciens ſuam quaſi novam jactitat; *Si quis igitur nos interroget*, inquiens, *quid ſit Epididymis? Reſpondemus eſſe Vas, variis ſuis flexibus corpus, quod teſtium dorſo affixum eſt, conſtituens.*

§. IV. Verùm Graafiô prior von der Linden *in Medicina*

 *Phy-*

*Phyſiologica c.VII. Art. I. §.6.* obſervavit *Vaſa præparantia*, Epididymides, *& Vaſa deferentia, eſſe unum reverà & continuum vas, ſed officiis diſtinctum in tria ſta, imò plura ſi benè æſtimemus.* Atque ante ſexennium ſe hoc obſervaſſe primùm, ſuisque Auditoribus propoſuiſſe & ſcripto ante biennium expoſuiſſe, contrà *Highmorum*, pro obſervationis gloria, differit.

§. V. Aſt quæ ipſius modeſtia *Artic. II. de Epididymidibus §.16. eſſe autem hæc vaſa*, inquit, *credere vos auctoritati volo: ſi non vultis Experientiæ. Ecce verò Auctoritatem non Caſſerii -- aut Veſalii -- ſed ipſius Hippocratis;* ex *lib. de loc. in homin.* & *de oſſ. Nat.*

§. VI. Atque *§. 20.* de Tuberculis Epididymidum; *ſed quid ſi*, ait, *Ariſtotelis de toto illô diſcurſum audiamus & repetamus è Cap. I. lib. III. Hiſtor. de anim. meretur certè, eſt enim pulcherrimus & talis qui jure poſſit indiligentiam exprobrare noſtris Anatomicis &c.*

§. VII. Oſtenditque inſuper §. 22. *Herophilum rectè intellectum idem ſenſiſſe, quando duos flexus Epididymidum diſtinguens, alterum* à capite prorſum ad fundum tendentem ἀδενοειδῆ, *alterum* à fundo reverſum ad caput ἑλικοειδῆ *denominavit*, demonſtrata ratione denominationis Herophileæ: *Non eſſe tamen glandulas comperies ſi dextrè ſolvas ligamentum quod iſtud corpus admirabili magis, quàm explicabili ſerie, modoq; coarctatum complicatumq; colligat & coërcet. Videbis enim tanquam in funiculum diſſolvi atq; extendi: Quem ſi propius conſideres, vas eſſe deprehendes ſed obductum, ſubſtantiâ quadam peculiari, & cui revera ſimilem in totô corpore aliam non reperies.* H. I.

§. VIII. Ad TESTES progredimur: de his *Graafius l. cit. Nullus hactenus teſticulorum ſubſtantiam ſcriptis dilucidavit, imò quod magis eſt, ne quidem Veritatis umbram attigit;* & paulò poſt: *qualis igitur ſit teſticulorum ſubſtantia ſi quis nos interrogat, dicemus eam nihil aliud eſſe quam congeriem minutiſſimorum vaſculorum ſemen conficientium.* H.I. Confer. in *Peyeri Exercit.* p.190. ἐγχείρησις pro teſticulorum filamentis demonſtrandis:

§. IX. Non defendam *Lindanum* quod *Artic. III. §. 31. pultaceam teſtium ſubſtantiam* ſui generis parenchyma dixit; quamvis ex iſtis *§. VI.* de Epididymidibus, de ejus mente judicari poſſit; quando & *Riolanum*

*lanum* qui *fibroſam teſticulorum ſubſtantiam* ſe deprehendiſſe dixerat, cit. *§. 31.* corrigit, *quod vera vaſa ſint, quæ vel oculus obtuſior vel cura remiſſior habet pro fibris.* Et *§. 40. in teſtibus à Natura vas præparans ex unò usq; in plura minima diſtractum primò, tum ex his in unum rurſus collectum* agnoſcit.

§. X. Illud ſolum dicam, quod apud *Ariſtotelem 3. Hiſtor. An. cap. 1. Prolixa & Epididymidum & teſtium & vaſorum deferentium deſcriptio,* (ad quam etiam Philoſophus *I. de Gen. Anim. c. 4.* provocat.) nihil aliud velit, quàm quod & Epididymides, & teſtes, ex vaſorum reduplicatione conſtent: unde *I. Hiſt. An. 13. Teſtes negat ejusdem Naturæ eſſe, cujus caro, ut tamen non multum à carne diſſideant.*

§. XI. Quibus forte lucem affundunt iſta *Ruſi Epheſii de Part. Corp. Hum.* p. 30. περὶ δὲ τοὺς διδύμους εἰσὶ χιτῶνες καὶ φλέβια δι' ὧν τρέφονται οἱ δίδυμοι, καὶ ταῦτα τρέφοντα τὸν δίδυμον καλεῖται, i. e. *Circa teſtes ſunt tunicæ & venulæ per quas teſtes nutriuntur & hæ nutritia teſtis dicuntur:* Nutritiæ enim teſtis venulæ ipſæ ſpermaticæ erunt.

§. XII. *De* VESICULIS SEMINALIBUS rectè **von der Linden** *Medicin. Phyſiol. L. VII. art. 4. §. 48 49. vaſa aſſervantia proſtites* (προστάται) *appellata notat, atque alia quidem proſtites varicoſos* (προστάτας κιρσοειδεῖς) *alia vero glanduloſos* (ἀδενοειδεῖς) *proſtites: ac varicoſi,* inquit, *ſunt revera nihil aliud quàm vaſa deferentia dilatata & varicum inſtar tortuoſa. Dum verò ſic torquentur, conſtituunt cellas quasdam peculiares quas noſtri homines vocant veſicas ſeminarias & priſcis incognitas jactant.* H. I. Fruſtra itaque ſunt qui *ex Recentioribus* diſquirunt quis primus ipſis deſcripſerit; *Rondeletius* ne an *Fallopius*, aut alius quicunque, uti *Bartholinus*.

§. XIII. Ut autem manifeſtiùs PERITIA VETERUM *ratione partium genitalium maſculini ſexûs* appareat, *Libros Galeni de Semine,* quos bonam partem *ex Herophilo*, ſed minus rectè intellecto, ex ſcripſiſſe videtur, accuratè expendendos commendo; atque patebit, opus generationis, quantum in Maribus eſt ſitum, probè perſpectum fuiſſe VETERIBUS; hâc ſerie; ut quod *primò vaſa præparantia* liquorem geni-



Digitized by Google

talem deferant *ad Epididymides;* quod *ab Epididymidibus porrò* ille transmittatur *ad teſtes; à teſtibus* verò dilatatis *ad veſiculas; à quibus demùm in urethram* profluens alium *à glandulis proſtatis, ſive adſtitibus, unà humorem* ſocium in tranſitu admittit. Memorabilis eſt locus, *Lib. I. cap. 15* (pag. 573.) de Vaſis teſtium ſpermaticis: *Arteria itaq; & vena à vaſis circa ſpinam progredientes per Ilia deorsùm feruntur donec perveniant ad venam teſticularem appellatam. Eſt autem hæc pars animalis juxta caput teſticuli incumbens, quod græcâ appellatione Epididymidis plenius ſignificatur, & fiſtulæ multæ ex ipſa in teſtem perveniunt ſeminarii humoris plenæ.*

§. XIV. Paulò poſt de VESICULIS SEMINALIBUS ex vaſe deferente dilatato. *At verò &* SEMINALIS MEATUS *quem aliqui* VARICOSUM ADSTITEM (*κιρσοειδῆ παραστάτην*) *appellant, inde geniturum hauriens ad pudendi exortum ſubvehit* p. 574. de longitudine & circumcurſu Vaſis deferentis: *Contingit enim ita ſanguinem in vaſis moratum concoqui & ingrumos cogi &* VAS SEMINALE *longiſſimum fieri quo amplius ejaculetur circa unam actionem ſemen & ob hoc ipſum utiq;* VARICOSIUS *fecit ipſum juxta Veſicæ Collum, unde ſanè &* NOMEN *ipſi inditum eſt*, VARICOSI ADSTITIS; quô adhuc illuſtrior eſt alius c. 16. p. 581. ſolicitus de Problemate, *ob quid in teſtium exectionibus totum corpus effeminetur? Arteria enim*, inquit, *& vena, quæ in caput teſticuli ſe inferunt ſeminalem humorem continere jam apparent, atq; ipſe teſticulus totus hujusmodi humore plenus eſt, & qui etiam circa venam teſticularem contentus eſt, ex hoc tranſſumptus eſt ad ipſam, quemadmodum ex hâc rurſus in* VAS SEMINALE CUJUS PARTEM AD COLEM VERGENTEM HEROPHILUS ASTITEM VARICOSUM *appellavit, qui quidem & ipſe delinquit in eo quod vaſi ſeminario plus quam teſtibus defert ſeminis generationem:* Quibus addatur alius *ejusdem capitis* p. 584. *Velim autem ex te quicunq; tandem mea ſcripta verſabis etiam nunc in Veritatis honorem ea, quæ dicta ſunt exquirere non frigidè & oſcitanter, neq; enim ſic inveniuntur, ſed primum ad diſſectiones progrediendo & diligenter intuendo, quæ dicta ſunt, antea & maximè ea, de quibus nunc dicere ceſſavi: Nimirum quod animalia quæ à converſatione feminarum abſtinent, omnia ſemine plena habent primum quidem* VARI-

COSUM

Digitized by Google

COSUM ASTITEM, *deinde* TOTUM VAS SEMINALE, *deinde* VENAM TESTICULAREM *& poſtea* TOTUM TESTICULUM, *deinde etiam* VASORUM OBVOLUTIONEM. *Si verò animal aliquod per aſſiduos coitus omne ſemen evacuavit, ejus neq; ulla alia pars ſemen habet, neque etiam obvolutio:* Conf. c. 17. p. 586. *Si verò quis interroget cujus igitur gratia* VENA TESTICULARIS *à natura nihil fruſtra faciente producta eſt; huic reſpondebimus, prædictorum Organorum gratia productam eſſe, nimirum* TESTICULI, SEMINARII MEATUS, *&* ARTERIÆ, *&* VENÆ, *in quibus prius acervatur ſemen.*

§. XV. Alia loca ſunt DE ASTITIBUS GLANDULOSIS in *lib. 2. de ſemin.* c. 6. p. 611. prolixè: *videamus porro* DE ASTITIBUS GLANDULOSIS, *quos in experti circa reſecandi corpora ſpeculationem in totum ignorant: Experti verò omnes velut uno ore ſemen continere pronunciaverunt.* p. 612. ſuam ſententiam afferens. ASTITES GLANDULOSI, *ex teſtium caſtratione, nihil perpeſſi caſtratum animal ad venereum conſortium non excitant tanquam ſanè quidvis aliud magis exiſtentes, quam organum ſeminale, & alterius cujusdam utilitatis gratia generati. Eodem modo opinor cum* GLANDULOSIS ASTITIBUS *integris ſervatis pereat in animalibus Venereum conſortium, minime certe genitales particulæ illi ipſi ſunt cenſendæ; ſicut igitur ex eô quod in eundem locum, ſimiliter ut vaſa ſeminaria in viris oſcula aperta habent, probabiliter ratiocinati ſunt, ipſos ejusdem utilitatis gratia generatos eſſe; Ita opportebat etiam ipſos ratione colligere in feminis non ejusdem utilitatis ergò productos eſſe, cum videant in eis rem aliter ſe habere. -- Conſiderare oportebat utrùm neceſſariò verum ſit quod canales in eundem locum oſcula aperta habentes, ejusdem utilitatis gratia facti.* Nihil clarius dici poterat DE VESICULARUM SEMINALIUM ET CORPORIS GLANDULOSI ORIFICIIS IN URETHRA; ſed addamus adhuc de uſu corporis glanduloſi ex p. 614. *Si enim & oris amplitudinem & gulæ ſummum, & ipſam gulam & univerſum inteſtinum glandulæ humectant, nihil ſanè mirum eſt etiam veſicæ collo ſimile quoddam auxilium præparatum eſſe, ut ne reſiccatum aliquando ægrè mobile reddatur. Cæterum multo magis veriſimile eſt hujusmodi auxilium ipſi virili pudendo à*

*naturâ præparatum eſſe*, *propterea quod memorabilis magnitudinis in viris hæ glandulæ exiſtant. Periculum enim ipſis eſt, ne cum prælongum & nudum ſit pudendum ordinatum, aliquando reſiccatum obtorqueatur, & meatus ejus conniveat obturatus. In fœminis ſanè ipſum uteri collum, neq; prælongum neq; nudum eſt; ſed intus ſitum & ex ambientibus ipſum ac circum ſitis multam humectationem ſuſcipit, imò ex ipſis menſtruis etiam irrigatur. Poterit fortaſſis & naturæ veritas mordacitatem ex urina hunc humorem velut unguen huic pudendi meatui præpamſſe.* & p. 615. concludens *contra Herophilum*, *quod* videlicet *in aſtitibus glandulosis neque contineatur, neque generetur ſemen: Cæterum de eô quod ſemen in ipſis non contineatur, ut abundè demonſtrato credere oportet, & prioribus nobis ignoſcere ac veniam dare, decepti ex eô, quod viris in eundem locum ſimiliter ut veræ vaſa ſeminaria oſcula aperta habent.* H. I.

## CAPUT XIII.

### I.

De *Genitalibus Muliebribus*, *quod* Veteribus *fuerint cognita*; *primò quidem Clitoris*. II. *dein Tuba Fallopiana*. III. IV. V. VI. *quod* Galenus *inventionem hujus Tubæ ſibi falsò arrogârit*, *quum ante ipſum* Anatomici *Illius meminerint*. VII. VI. *Teſtes muliebres rectè à* Veteribus *deſcriptos & cum Ovario ferè comparatos fuiſſe*. IX. *Neq; ſigni gratiâ juxta* Veteres *fuiſſe conditos*. X. XI. *de ductibus ſeminalibus Mulierum*, *inprimis in Vagina*.

### §. I.

GENITALIA MULIEBRIA quod attinet quatuor afferemus, quæ VETERIBUS incognita paſſim ſunt credita. Ex his primum eſt CLITORIS, de Cujus inventione apud *Bartholinum* certaſſe leguntur *Fallopius* & *Columbus*. *Bauhinus* autem *in Theatro Anatomic. Lib. I. c. 40.* (p. 258.) *Arabibus* hanc partem fuiſſe cognitam, ſed aliô nomine expoſitam; *Bartholinus Rufum* & *Pollucem* ejus feciſſe mentionem, atteſtantur. Addam *in Anonymi Iſagoge Anatomica*, quam *P. Laurenberg.* latinam reddidit & *Joach. Morſius* edi curavit c. 30. diſerte hanc partem ſuo nomine commemorari: ἐν ᾗ τῇ ὑστέρᾳ αἱ καλουμέναι

*μυῖαι νύμφαι, ἢ πτερυγώματα καὶ ἡ κλειτορὶς* &c. *in utero quoque ſunt Nymphæ ſeu alæ & Clitoris.*

§. II. Aliud eſt quod TUBAM FALLOPIANAM quidam minus fuiſſe VETERIBUS perſpectam perſvaſi fuerunt, quamvis *Fallopius in Obſervationibus Anatom.* ubi nominis à ſe impoſiti rationes exponit, neutiquàm ſibi inventionis gloriam arrogat: (f. 472.) *Bauhinus* ſane fecit ut non opus habeamus *Galeni* loca afferre, quæ ex *14. de U. P. 10.* & *L. de Diſſect. Uteri* c. 9. adduxit. (mihi *Edit. Venet. in 8vo* c. 13.)

§. III. Ut tamen RECENTIORES, qui non tanti faciunt, vel limis ad antiquitatem reſpicere, percipiant & VETERES ſimili prurigine gloriandi laboraſſe, Unicum ex *Galeno* locum in medium adducam, is eſt l. cit. *de diſſect. Uteri* c. 13. (*Bauh. c. 9. p. 542.*) *Cæterum & vaſa ſeminalia è teſtibus exorta rurſus ſimiliter ſemen continentia, quemadmodum etiam in maribus apparent. Sunt autem propè iſtos teſtes ampla, & ſenſilem cavitatem habentia, anguſtiora verò & velut non cava redduntur, paulò longius inde progreſſa, deinde rurſus juxta cornua dilatantur ubi ſane & in uterum inſeruntur.* H. I. His quibus ipſo *Fallopio* accuratiùs Tubas deſcripſit; Exin ambitioni ſuæ litans gloriolæ captator ſtrenuus omnium majorum peritiam infrà ſuam deſpicit. *Has autem inſertiones neq; Ariſtoteles neq; Herophilus neq; Eudemus novit, mentionem verò horum feci, non ut qui ſoli non ſciverint, ſed ut qui aliàs circa corporum diſſectionem optimè inſtructi ſunt, Dioclem enim & Praxagoram, Philotimum & alios Veteres dixerim omnes, non diſſimile verò eſt ſicut alia multa quæ in corpore ſunt, ita & hoc ignoraſſe. Craſſius enim quodammodo & non exactè circà diſſectionem ſunt verſati, unde neq; ipſorum aliquam rationem habeo. De illis verò non habeo quod dicam, neq; enim reprehendere ipſos audeo propter exactam in illis diligentiam, neq; ſane ita parva ſunt hæc vaſa ut aliquem latere poſſint. Verum de iis quæ in veſicæ collum inſeruntur exactè ab iis dictum eſt, quod videlicet in eundem locum, in quem etiam in maribus ſolent, ſe conſerunt, & quod glanduloſa ſunt vaſa hæc, & quod à teſtibus extenduntur utero adnaſcentia. De his verò quæ juxta Cornua inſeruntur, nihil dixerunt, quanquam etiam hæc poſt ſenſiles meatus ingerant quemadmodum illa in collum, & genituram amplius intra ſe habentia appareant.*

§. IV.

§. IV. Attamen *Rufus Epheſius* qui *Galenum* ætate anteceſſit, atque *Trajani Imperatoris* cum *Critone* Medicus fuit, quem ipſe *Galenus* non unô in loco laudat e. g. *in L. de Ordine Librorum ſuorum* cap. 4. *atq; utinam Pelopis & præterea Sabini, Rufiq; Epheſii in Hipp. Interpretationes omnes haberentur.* Et paulò pòſt: *Sabinum & Rufum meliùs ſenſiſſe quàm Lycum* ſcribit. Conf. *L. de Atra bile c. I. S. IV.* p. 242. *Hic* Experientiſſimus Anatomicus & Medicus eadem vaſa ante *Galenum* obſervavit, citra ullam Inventionis oſtentationem, de iis tanquàm vulgariter jam ipſius ætate cognitis referens: Latina ſolùm damus ex von der Linden *Medic. Phyſiol. c. 7. artic. 5. §. 58.* p. 281. *Herophilo non videtur ſemina varicoſas habere proſtatas, in ovis autem utero vidimus è teſtibus utrinq; enata vaſa varicoſa, quæq; perforarentur in cavum uteri. Ab his compreſſis ſubmucoſum quoddam humidum excernebatur, eratq; magna ſuſpicio ſeminalia hæc eſſe ut ex genere varicoſorum. Hoc verò quale ſit profectiones abundè demonſtrant.* H. I.

§. V. Imo quæ *Oribaſ. 24. Collect. ex Sorano*, qui *Galeno* itidem paulo antiquior fuit, habet, de Tubis iſtis intelligenda ſunt. *Meatus verò ſeminis à vulva in utrumq; teſtem procedit (& * apparatibus adjunctus usque ad veſicam) ejus collo committitur. Hinc videtur feminarum ſemen ad gignendum non recipi, quia foràs effundatur: qua de re dictum à nobis in Lib. de Semine. Nonnulli verò inter quos etiam eſt Chius, volunt æquales teſtium appendices qui Cremaſteres dicuntur, eis committi, id quod nos propriis oculis intuiti in muliere cui inteſtina in ſcrotum deſcenderant, Hiſtoriæ mandavimus, in quâ, cum Chirurgiam exerceremus, teſticulus antè cecidit, laxatis videlicet vaſis ipſum continentibus & circumdantibus & cum eô Cremaſter concidit.* H. I.

§. VI. Cœterum & apud *Oribaſ. Collect.* 24, 29. p. 863. quæ occurrunt Tubas tangunt: *Vulvæ figura — veſicæ eſt ſimilis nam quatenus à lateribus proceſſus quosdam mammillis ſimiles ad utraq; ilia transmittit, in eô à veſica differt, quorum figuram Herophilus dimidiati globi revolutione aſſimilat. Diocles verò cornibus exorientibus unde* κεραίας, h. e. *cornua, nomine* ἀπὸ τοῦ κέρατος, i. e. *à cornu deducto appellârit.* H. I. Item quæ *Auctor Hiſt. Philoſ. apud Galen.*

S.VIII.

S. VIII. p. 54. de Spermaticis Vaſis feminarum; *Pythagoras, Epicurus & Democritus feminas quoq; ſemen profundere arbitrantur, utpotè quæ præditæ ſint ſeminalibus vaſis quæ in uterum ex adverſo emittunt, quod deinde in cauſa eſt, ut etiam mulieres feminis uſum appetant.* H. I.

§. VII. Satis de Tubis; ad TESTES MULIEBRES accedimus, unum ex *Sorano*, qui ex humanorum corporum Anatomis potiſſimum ſequioris ſexus genitalia deſcripta exhibet, locum adducente, quem & *Oribaſ. 24. Collect. 31.* p. 8, 67. adducit; *de vaſis uteri ſive Matricis*, ὥστε γίνεσθαι τεσσάρων εἰς αὐτὴν ἀγγείων ἔμφυσιν δύο μὲν ἀρτηριῶν δύο δὲ φλεβῶν. ἐκ τούτων δὲ καὶ εἰς ἑκάτερον τῶν διδύμων ἀνὰ μία φλέψ, ἀνὰ μία ἐμπέφυκεν ἀρτηρία. Προσπεφύκασι δὲ ἔξωθεν οἱ δίδυμοι συνεγγὺς τοῦ αὐχένος πρὸς ἑκάτερον πλευρὸν ἀνὰ εἷς, καὶ εἰσὶ μὲν ψαφαροὶ καὶ ἀδενώδεις ἰδίῳ σκεπόμενοι ὑμένι, κατὰ σχῆμα δὲ οὐχ ὡς ἐπὶ τῶν ἀρρένων ὑπομήκεις ὑπάρχουσιν. ὑπόσιμοι δὲ καὶ στρογγύλοι ἐπ' ὀλίγον πλατυνόμενοι κατὰ βάσιν. *Quatuor vaſorum inſertionem in uterum fieri* dicit, *duarum arteriarum & duarum venarum, ex quibus ad ſingulos teſtes ſingulæ vena & arteria producuntur.* TESTES *verò extrinſecus juxta eſſe prognatos propè collum, ab utroq; latere unum, atque* ESSE *quidem* MINUS COMPACTOS EX UNO SOLIDO CORPORE, SED GLANDULOSOS, *ſive coagmentatos ex multis glandulis ac veſiculis* (uti von der Linden cap. 7. §. 54. reddidit illud ψαφαρὸς ſive ψαθυρὸς) *propriâ membranâ involutos. Figurâ verò externâ*, ait, *non uti maſculi oblongi exiſtunt, ſed ſubſimi atq; teretes parum dilatati juxta baſin.* H. I. Ex quibus *vaſa in teſtibus femininis* VETERIBUS cognita fuiſſe liquet, quodque ipſorum corpus partem ſit *arenoſum, h. e. ex minutis hydatidibus malè cohærentibus*, & partem *glanduloſum*, quoad carneum iſtud glandulæ conglobatæ inſtar.

§. VIII. Deſinant nunc OVARIORUM *præcones, Stenonem, Hornium, Graafium* efferre. Atque *ipſos* TESTES *etiam* OVA *fuiſſe* VETERIBUS aſſeret *Auctor Anat. Vivor. apud Galen.* S. VIII. p. 300. *ſub iſtis autem additamentis extra ex utraq; parte inferius propè os matricis ponuntur duo janitores, quaſi* DUO OVA *ſcil. teſticuli qui ali-*



Digitized by Google

*aliquantum ſunt latiores quàm teſticuli maris, qui aliquantulum ſunt oblongi. Illi latiores propter humiditatem deſcendentem, iſti oblongi propter caliditatem.* H. I.

§. IX. Atque cum à RECENTIORIBUS VETERES paſſim notentur, quod σημεῖα χάριν, ſigni ergo *plurimas partes conditas* crediderint, quum ipſorum verum uſum ignorârint, uti *Steno obſerv. de oris glandulis* p. 2. illud Antiquitati objicit; Non quidem negandum, in quibusdam ita nonnullis *Vetuſtis Auctoribus* viſum, ut tamen iidem non omnium in omnibus aſſenſum mererentur; Ita TESTES MULIEBRES contrà *Athenæum Galenus* non ſigni gratia conditos aſſerit L. 2. de Semine. c. I. Edit. Venet. p. 590. *Quapropter*, inquit, *Athenæo fides habenda non eſt tradenti, quemadmodum in maribus ſunt mammæ, ſic etiam in feminis particulas ſeminales diſpoſitas eſſe, ipsâ ſolâ particularum proportione in primâ formatione factâ, non etiam actione aſſervatâ.* videantur ſeqq.

§. X. Demum DUCTUS IN COLLO MAJORI *ſive* VAGINA (ex quibus fluor muliebris laticis, qui ſemen quibusdam creditus) ne quis putet VETERIBUS incognitos, quum *Bartholinus in Tr. de Ovariis* p. 24. illud non diffiteatur, velim ut quis *Galeni L. 2. de Semine* c. 6. p. 614. & c. I. p. 588. 589. 591. conſulat. Quamvis *Galenum* legenti notandum, quod omnia turbet, & immeritò *Herophilum* aliosque mendacii arguat, quum ipſe *Tubas Fallopianas* pro unico vaſe ſeminali habeat, *Herophilus* verò & *Soranus*, *aliiq;* præter Tubas iſtas alia vaſa ſeminalia in mulieribus genitalibus agnoſcant, quæ *Galenus* non potuit deprehendere; hæc cauſa indignationis.

§. XI. Meretur autem locus ex *Sorano* ſubjici, qui ſequitur iſtum §. VII. allegatum; ὁ σπερματικὸς δὲ πόρος ἀπὸ ὑστέρας διʼ ἑκατέρου φέρεται διδύμου καὶ ταῖς παρασκελίαις, παραπεθεὶς μέχρι τῆς κύστεως, εἰς τὸν ταύτης ἐμφύεται τράχηλον. Ἔνθεν δὲ δοκεῖ τὸ τοῦ θήλεως σπέρμα πρὸς ζωογονίαν συλλαμβάνεσθαι τῷ εἰς ταὐτὸ ἐκχεῖσθαι, περὶ οὗ περιελάβομεν ἐν τῷ περὶ σπέρματος λόγῳ (*ubi apud Oribaſ.* p. 115. *legitur*; Non) ἔνιοι δὲ καθὼς βούλεται καὶ χῖος &c. *Spermaticus autem porus ex Utero per alterutrum teſtem fertur, & apparatibus juxta appo-*

*appoſitus, usque ad Veſicam, hujus collo implantatur. Hinc vero videtur muliebre ſemen ad Generationem Animalium concipi, illo quod in hoc effundatur, de quo Complexi ſumus in ſermone de Semine: quidam vero uti vult Chius*, &c.

## CAPUT XIV.

I.

A*N in Prægnantibus & Embryis ſingularia* Veteribus *fuerint cognita?* II. *de ductibus lacteis ad Uterum ex* Hippocrate. III. *de ductibus lacteis ad mammas ex* Marino. IV. *de Vaſorum Cordis in fœtu Unione.* V. *de inſpectione Embryorum ſ. Abortuum ex* Galeno. VI. *ex* Hippocrate. VII. *ex* Ariſtotele. VIII. *apud* Macrobium *ex* Hippocrate, Stratone Peripatetico, Diocle Caryſtio. IX. X. XI. *de ductu per quem Vitellus in pullo in inteſtinum tranſit, ex* Ariſtotele *contra* Stenonem.

§. I.

HIc puto locum meritò invenire, quæ DE PRÆGNANTIBUS, aut DE EMBRYIS afferri poſſunt; atque paucis tangamus, an, & quæ in his ſingularia ANTIQVITAS perſpexerit.

§. II. Utut verò nec à RECENTIORIBUS adhuc res adeo ſit exploratа, ut certò definiri queant *ductus ſingulares lactei, qui ſive ad mammas ſive ad uterum in fœtibus alimentum*, ſive præſens, ſive futurum, album iſtum nutritium laticem *vehant*, meretur tamen à nobis adduci locus ex *Hippocrat. de Natura pueri* S. 11. §. 9. *Quin & pecora prægnantia ſi non ægrotent ab eodem potu ac cibo, pinguiora propterea fiunt, ſimiliter autem & mulier. Et à pinguedine calfactâ ac albâ exiſtente, quod edulcatum eſt à caliditate, quæ ab uteris acceſſit, expreſſum, venit in mammas, & in uteros quoq; parum venit, per easdem venas; tendunt enim & in mammas & in uteros venulæ hæ & conſimiles aliæ. Et ubi pervenerit in uterôs, de lacte, puer ipſô paululum fruitur.* Tom. I p. 148. quo cum loco confer. *I. de Morb. Mul. S.V. Edit. Foëſ. f. 185. & de glandulis S. III. f. 55.*

§. III. *In Actis Philoſoph: Angl. An. 1670.* p. 436. refertur, quod *Germanus* quidam *in Monte peſſulo* invenerit duo vaſa deducentia Chy-

lum in mammas Nutricum; oſtendiſſeque Eundem quod ex ductu Domini Pecqueti procedant. *Hæc eſt*, ait Auctor, *detectio rei à longo quodam tempore credita, ſed nunquam demonſtratæ.* Confer. *Charleton de Oecon. Anim. Exercit.* III. §. 4. ſeq. Citra dubium autem de iſtis aliquid tradidit *Marinus lib. 4. Anatom. Scriptorum*, in quibus *Galeno* teſte ab hoc induſtriò Anatomico expoſitum fuit. *π. τῶν κατὰ τοὺς μαστοὺς ἀγγείων ἐν οἷς τὸ γάλα*, *de vaſis ſecundum mammas in quibus lac.*

§. IV. *De Vaſorum Cordis in fætu unione*, quæ in lucem editis aboletur, ſuperius egimus: & vix erunt, quæ *in Embryis* novè detecta asſeruntur, quæ non apud Antiquos gnarus lector obſervaverit.

§. V. Neque incurii *in ſpectandis Embryis* fuerunt VETERES Etenim qvum à Tibicinis, ſaltatricibus, Pſaltriis & iſtius modi generibus meretricularum ſæpius abortus conciliarentur, Medici curioſi, atque Anatomes Studioſi, foetus ejectos ſedulo intuiti ſunt. Declarat hoc *Galeni Lib. de formatione fætuum* non uno in loco: ſub init. p. 616. hoc nomine præfert *Hippocratem* Philoſophis: *Hippocrates autem primus*, inquit, *eorum quos novimus de fætuum formatione verè prodidit, non ratiocinalibus ſuſpicionibus ſequelam rei & quæſtionis permittens, ſed ſenſibilibus cognitionibus atque his non paucis, quemadmodum aliqui univerſalia pronunciata ex his quæ ſemel ab his viſa ſunt, facientes, ejusmodi ſanè nunc Medicus quidam fuit, qui fætu 32. dierum per abortum ejecto manifeſta jam formationis lineamenta habente ſemel tantum viſo, tanquam in omnibus fætibus ſic contingeret pronunciavit.* H. I. Habemus itaque Hiſtoriam ex Antiquitate de fœtu 30. dierum; *paulo* autem *poſt* de fœtu 6. dierum affert aliam Hiſtoriam p. 617. *Genituram itaque ſex dierum prolapſam contemplatus is qui libellum de Natura fætûs ſcripſit ſive is ipſe Hippocrates eſt ſive diſcipulus ejus Polybus, exactè ſimulque manifeſtè enarravit his verbis.* Atque ad Exempla diverſæ formationis fœtuum pro temporis varietate ipſe in ſeqq. provocat p. 621. de tardiori Cordis quàm Hepatis generatione. *Verùm longùm ad hoc tempus utique requireretur & non ſtatim cum primis diebus contingat, in quibus Hepar generationis principium accipit ac paululum ab uteri corpore diſtat. Quem enim liquorem rubrum & rotundum intra ſecundam in genitura ſex dierum pelluceſcere Hip-*

*pocrates*

Digitized by Google

*poetites dixit: hic ſane hepar ipſum fuerit inarticulatum adhuc & informe; at verò in abortibus fœtuum ſupra 30. dies, prope inter ſe ſita manifeſta apparent, tria hæc animalis membra, Hepar, Cor, & Cerebrum, atq; majus quidem utriſq; aliis hepar, inferiora vero ipſo longè ſunt juxta magnitudinem tum cor, tum cerebrum. Nec vero poſſibile eſt invenire, quando cor principium formationis habeat, abortus enim qui in primo menſe fiunt, nihil manifeſtum docent, & diſſectio animalium hominibus ſimilium juxta eundem modum, neq; ipſa quicquàm conſtans oſtendit, quam diu ſane inarticulatus fuerit fœtus, ubi autem in articulos jam digeri cœperit plurimæ quidem aliæ partes nullum manifeſtum lineamentum habent, Solæ vero propè inter ſe ſitæ tres hæ conſpiciuntur velut jam dixi, Cor, Cerebrum & Hepar.* H.I. Liquet autem ex ſequentibus ipſum *Galenum* non inſpexiſſe iſtiusmodi abortus.

§. VI. *Hippocratem* autem inſpexiſſe perſvadent *V. L. de Alimento* c.IX. §. 2. ſeq. Tom.I. p. 597. ubi diſſerit quot diebus fœtus formentur & abſolvantur conf. *4. Epidem. c. 11. §. 5.* ſeqq. p.743. Tom.I. quæ loca de diebus abortuum *Hippocratem* ſolicitum fuiſſe oſtendant. Confer: *L. de Natura pueri* c. 14. Tom.I. p.143.

§. VII. Pariter *Ariſtotelem* inſpexiſſe abortus eſt credibile *7. Hiſt. Anim c. 3.* de Abortionibus quæ intra quadrageſimum diem: *Mas qui quadrageſimo die exierit ſi in quodvis aliud mittatur diffunditur atq; abolerur, ſed ſi in aquam frigidam cogitur conſiſtitq;, veluti in membranula, quâ ruptâ fœtus ipſe apparet magnitudine formicæ majuſculæ; & membra jam inde diſcreta, tum cætera omnia, tum genitalia conſtant, & oculi quemadmodum in cæteris animantibus prægrandes.* H.I. Ex hoc Scholaſtici forte ſua hauſerunt, uti *Michael Scotus* qui p.13. *inſtar perlæ & formicæ fœtum* annotavit.

§. VIII. Mereturque legi locus *ex Macrobio* in Somnium Scipionis L I. c. 17. f. 10. C. D. *Semen quod poſt jactum ſui intra horas ſeptem non fuerit in effuſionem relapſum, hæſiſſe in vitam pronunciatur. Verum ſemine ſemel intra formandi hominis monetam locato, hoc primum artifex natura molitur, ut die ſeptimo folliculum genitivum circumdet humori ex membrana tam tenui qualis in ovo ab exteriore teſta clauditur, & intra ſe claudit liquorem. Hoc cum à Phyſicis de-*

 *prehen-*

*prehenſum ſit, Hippocrates quoq; ipſe, qui tam fallere quàm falli neſcit, experimenti certus aſſeruit, referens in Libro qui de natura pueri inſcribitur, tale ſeminis receptaculum de Utero ejus ejectum, quam ſeptimo poſt conceptum die gravidam intellexerat, &c.* [Vid. *Hippocrat. de Natura puer.* L. c.4. §. 45. ſeqq. *Tom. I.* pag 135.] poſt quæ: *Hæc Hippocrates. Straton verò Peripateticus,* pergit, *& Diocles Caryſtius per ſeptenos dies concepti Corporis fabricam hâc obſervatione diſpenſant, ut hebdomada ſecundâ credant guttas ſanguinis in ſuperficie folliculi, de quo diximus, apparere: tertiâ demergi eas introrſum ad Ipſum Conceptionis humorem: quartâ humorem ipſum coagulari, ut quiddam velut inter carnem & ſanguinem liquidâ adhuc ſoliditate conveniat: quintâ verò interdum fingi in ipſa ſubſtantia humoris humanam figuram, magnitudine quidem apis, ſed ut in illa brevitate membra omnia, & deſignata totius corporis lineamenta conſiſtant. Ideò autem adjecimus, interdum, quia conſtat quoties quintâ hebdomade fingitur deſignatio iſta membrorum, menſe ſeptimo maturari partum, &c.*

§. IX. Unicum ſolum adjiciam, *de ductu quo vitellus in recens editi pulli nutrimentum ad inteſtinum tranſit.* Scripſit *Steno Tractatum de Vitelli in Inteſtina tranſitu* audetq; affirmare non ſolum *Harvejo*, ſed & *Ariſtoteli* hanc viam fuiſſe incognitam; ſanè diſſimulat ſe ab *Ariſtotele* edoctum iſtam obſervaſſe, quando Philoſopho affingit, ac ſi vitelli in hepar diadoſin per umbilicalia vaſa ſtatuminaſſet. (p.78.)

§. X. *Ariſtotelis* verba demus. *6. Hiſt. an. 3.* f. 530. *Deinde pullus continetur obvolutus membranâ ne in humore maneat. Mox pullo vitellus ſubjacet, in quem alteram ex venis prorepere dictum eſt, cum altera albumen ambiens petat. Cuncta autem ambit membrana cum humore, ſpecie ſaniei. Tum verò membrana alia circa ipſum fœtum, ut dictum eſt, ducitur arcens humorem: ſub quâ vitellus, aliâ obvolutus membrana, in quem umbilicus à corde ac vena majore oriens pertinet, atq; ita efficitur ne fœtus alterutro humore attingatur. Viceſimo die jam pullus ſi quis putamine ſecto ſolicitet movet intus ſeſe, pipitq; aliquantulum, & jam ab eodem die plumeſcit, quoties ultra viceſimum excluſio protelatur. Ita poſitus eſt ut caput ſuper*

*per*

*per crus dextrum admotum Ilibus, alam ſuper caput poſitam habeat. Quin etiam membrana quæ pro ſecundis habetur, poſt ultimam teſtæ membranam, ad quam alter umbilicus pertendit, evidens per id tempus eſt, pullusq; in eadem jam totus locatus. Et altera quoq; membrana, quæ & ipſa vicem ſecundarum præſtat, vitellumq; ambit, ad quam alter umbilicus procedit, latiùs patet. Oritur umbilicus uterq; à Corde & Vena majore ut dictum eſt. Fit autem per id tempus ut umbilicus alter, qui in ſecundas exteriores fertur, compreſſo jam animante abſolvatur: alter qui adit Vitellum ad pulli tenue inteſtinum* (πρὸς τὸ ἔντερον τὸ λεπτὸν) *adnectatur. Jam & pullum ipſum multum humoris lutei ſubit. Atq; in ejus alvô fæcis aliquid ſubſidit luteum. Excrementum etiam album eodem tempore pullus emittit, & in alvo quiddam album conſiſtit. Demum vitellus paulatim abſumitur totus membrorum hauſtu, ita ut ſi pullo decimo die poſt excluſo reſcindas alvum, non nihil adhuc Vitelli comperias. Umbilico verò abſolvitur pullus, & nihil ſit poſtea, ſed omne abſumtum eſt.* H. I. Quæ illuſtrantur *3 Gen. anim. 2. fin.* de Viviparorum & Oviparorum differentia ratione nutritionis; *Creſcentibus Umbilicus primum conſidet, qui ſecundis adjungitur. Hâc enim pullum excludi convenit. Reliquum lutei, & Umbilicus ad luteum pertinens poſt collabitur. Cibum enim habeat ſtatim oportet. -- quapropter luteum ſubit cum Umbilico, & caro adnaſcitur.* (διόπερ ἐντὸς εἰσέρχεται τὸ ὠχρὸν κατὰ τοῦ ὀμφαλοῦ, καὶ περιφύεται ἡ σάρξ)

§. XI. Qui ergò *Steno* adeò inverecunde *Ariſtoteli* alienam prorſus mentem affingere auſus fuit, ac ſi per Hepar luteum tranſire ſtatuiſſet, quum *Philoſophus* diſertè deſcribat ſpeciem inteſtinorum, cui vitelli membranaceus ductus adnaſcatur, definiens locum, nempe quod ſit ſupra craſſa ſive cœca pulli inteſtina; Quum porro expreſsè *Philoſophus* addat Carnem ex vitelli membrana, ſive ductu, inteſtino naſci, atque demum quod iſta caro conſumatur intus; Ecquid planius, aut plenius quicquam de pulli, per vitellum, Nutritione à *Stenone* allatum eſt, aut afferri potuit?

CAPUT

# CAPUT XV.

I.

**De partibus sensui et motui dicatis.** II. III. IV. *quod* Cerebri *omnia non minùs* Veteribus *quàm* Recentioribus *fuerint cognita*. V. Stenonis *ingenua confeſſio, quod intima Cerebri ſtructura ſenſus effugiat*. VI. VII. VIII. Veterum *de duplici matris duræ membrana, notitia*. IX. Eosdem *& fibras utriusq; membranæ noviſſe*. X. *de Medulla ſpinali nihil novi*. XI. *de Nervorum principio diſputationem non eſſe hujus loci*. XII. *Circa Nervorum cognitionem* Veterum *Studium*. XIII. *Nervos Recurrentes ante* Galenum Ariſtoteli *perſpectos juxta* Accorambonum. XIV. XV. XVI. XVII. *de Nervorum meatibus juxta* Eraſiſtratum.

§. I.

Pergendum nunc ad PARTES SENSUI ET MOTUI DICATAS: atque cum *& ſenſui & motui* conferat *Cerebrum* cum *Medulla ſpinali* & *Nervis*, harum partium præmittenda foret contemplatio.

§. II. Cœterum nihil memorabile, curæ hujus ætatis Anatomicorum, in his partibus invenerunt, quo induſtriæ VETERUM derogarent. In CEREBRO illuſtris *Malpighius* traditur detexiſſe, quod pars cineritia non ſolùm tegat albam partem, uti huc usque creditum, ſed quod etiam inibi ſe pluribus in locis inſerat. Idem partem albam, communiter *corpus calloſum* appellatam, non niſi plurimarum fibrarum ex medulla dorſi ſpinali exeuntium quandam eſſe texturam advertiſſe, quaſi primus laudatur. *Ephem. Gall. Lat. Verſion. An.* 67. p. 734. Conferatur ipſe *Malpighius de Cortice Cerebri* p. 74. ſeqq.

§. III. Non minus alia atque alia ANTIQVITATI non viſa *Williſius* in lucem produxiſſe viſus eſt; quem unò ore omnes de exantlatis in cognitione Cerebri laboribus laudant, quorum etiam inſignia documenta *in Tractatibus de Cerebro & Nervis* proſtant.

§. IV. Omnia tamen iſta, quæ ſive *Malpighius* ſive *Williſius*, de Cerebro expoſuerunt, & apud VETERES reperiri attento lectori patebit. Adeatur von der Linden *Medicin. Phyſiol.* c. 8. qui inter alia

§. 127.

§. 127. ex *Rufi* c. 22. adducit differentiam Corticis à reliquô cerebrô: *Superior Cerebri pars*, ait, *variciformis* (κιρσοειδὲς) *inferior & poſterior baſis*. Conferatur *Bauhinus Theatr. Anat* L. 3, 11.

§. V. Atque ſi quis omnia rectè expendit, qvum alia ratione, alia ſenſu tantum, quædam verò & ratione & ſenſu ſimul in corpore aſſequi liceat; *Cerebri intima Conſtructio* ex illorum numero erit, quam ratione ſolùm attingas. Fruſtra enim hactenus MODERNORUM ſedulitas deſudavit, qvum nihil aut parùm emolumenti ipſis ex tantis temporum atq; operum ſumptibus acceſſerit. Laudemq; meretur *Stenonis* candor, qui *in diſſertatione de Cerebri Anatomia*, ingenuè fatetur, *ſe poſt ſectiones quas inſtituerit oppidò multas nihil tamen omninò certi in cerebri ſtructura cognoviſſe*; rationem addens, *quod fibræ ipſius ſint tam exiguæ ut ipſas à ſe mutuò diſtingvere ſit impoſſibile; Texturam itidem ipſius tam delicatam ut ſine ruptura tangi nequeat, & ſubſtantia ejus tam mollis ut dum figuram examinare velis, eam quum illud ne cogitas quidem adulteres ſ. immutes:* Illosq; etiam qui ante ipſum tractarunt de cerebrô non majorem ejus notitiam adeptos fuiſſe edocet. Legantur quæ *in Ephemer. Gall. an. 70.* p. 585. *ſeqq.* extant.

§. VI. Fuit qui putaret à NEOTERICIS quibusdam detectum *tertium Cerebri integumentum*, duræ & piæ matri intermedium, ſingulari tenuitate gaudens; Cl. *Bidloo Anatomen corporis humani*, & *Cl. Bohnii circulum Anatomico-Phyſiologicum* hanc ad gloriam adcitans.

§. VII. Verùm facilè *Amico* aliud perſuaſi, quando ex *Archangeli Piccholomini Anatomicis Prælectionibus Romæ editis Anno* 1586. f. 24. probavi, quod præter Meningem tenuem duo involucra in dura matre Auctor agnoverit, dum ipſius ſubſtantiam membranoſam duabus membranis conflatam demonſtravit. *Craſſam enim Meningem*, ait, *geminam eſſe oportuit, tum ne cerebrum diaſtole amplificatum in calvam duriſſimam quandoq; collidens & impingens obladeretur; tum ut tutius per geminas illius membranas venæ & arteriæ excurrerent in Cerebri molem.*

§. VIII. Nec ſolus *Archangelus Piccholominus*, ſed alii prætereà non pauci idem obſervarunt. *Realdus Columbus de Re Anatom. Lib. 8.* p. 384. *Edit. Pariſ. An.* 1572. *Neq; unica eſt membrana, veluti qui ante me de rebus Anatomicis ſcripſerunt, omnes uno ore prædicant, ſed du-*

 *plex,*

*plex, vel ut apertius dicam duæ ſunt membranæ dum meninx, quarum unam internam voco, quæ Cerebrum ſpectat, alteram externam calvariam verſus, quæ minori ſenſu meritò prædita fuit quippe cum oſſis durities attingenda erat; altera verò, quàm internam dixi, magno ſenſu pollet. Hæ itaq; membranæ in capitis Vertice ſub rectâ ſutura reduplicatæ deſcendunt* &c. *Fallopius Obſervat. Anatom. Edit. Francof.* an. 1584. f. 48. lin. 4. *quod loco perioſtii internæ calvariæ ſubſit membrana cerebri durior dicta, aut ſaltem,* ſunt verba Fallopii, *exterior ipſius pars. Nam dura hæc Meninx facillimè dividitur in duas membranas, quarum quæ exterior eſt, durior minusq; texta & quaſi tendo quidam latus huic membranæ expanſus ac connatus videtur. Quæ autem interior, æqualior atq; ſolidior viſitur, ac in ipſa ſinus inſunt, ut apertè anatome indicat. Pro perioſtio igitur oſſi inſervit pars dicta exterior ipſius Meningis. Quod autem membrana hæc duplex quaſi ſit majori ex parte ignorant Anatomici.* H.I. *Andr. Laurentius* Lib. 4. cap. 6. *Anat. Operum.* An. 1595. Francof. Edit. de dura Meninge: *Membrana hæc omni ex parte duplex, unde fit, ut Neotericorum quidam* (forte Columbum, Fallopium & Arch: Piccholominum tangit) *meninges duas geminas ſtatuerint, alteram internam candidiorem & aqueo humore magis oblitam, quæ tenuem ſpectat, alteram externam oſſi Calvariæ contiguam.* Ex Fallopio fere ſua habet, aut ſane ei adſtipulatur *Bauhinus in Theatrô Anat.* Lib. 3. 8. p. 550. 55. Edit Francof. Ann. 1655. *Diemerbrock. Anatom.* L. 3. 4. *Hanc geminam exiſtere cum Fallopiô & Bauhino varii Anatomici tradunt, quæ duplicatura quia difficulter demonſtratur rejicitur à Riolano.* Confer. *Bartholini Anat.* L. 3, 2. p. 460.

§. IX. *Raymundus Vieuſſens in Neurographia univerſali* c. 3. p. 3. ut hoc adjiciam, nuperrimè & fibrarum iſtius Meningis ſtructuram annotavit: *Fibræ,* inquit, *quibus conſtant duæ craſſæ Meningis membranæ ſibi arctiſſimè cohærentes ſeſe obliquè interſecant ſiquidem externæ ab anterioribus ad poſteriora, internæ verò à poſterioribus ad anteriora obliquo ductu porriguntur — uti clarè percipitur, dum ſuperna craſſæ meningis pars in aquâ leviter tantum excoquitur, etenim per levem coctionem fibrarum quibus conſtat textura maximè perſpicua fit, ipſæq; ab invicem ſecerni poſſunt.* H. I. Verum & hoc ANTIQVIS perſpe-

ctum

ctum æſtimo, quum minoris ſit momenti, & pleraſque omnes membranas fibrarum quaſi decuſſatio conſtituat, quamvis & aliquando non ſimplex ſit illa decuſſatio, unde cauto ſectori & exercitato aliquando membranam in tres pelliculas diſcernere non impoſſibile erit, uti *Anno* 1687. *in infante femella* præſente *Amico*, matrem duram in tres pelliculas diremi, initio ſectionis prope ſinum falcatum facto.

§. X. *De Medulla Spinali* non mihi occurrit, quod in Controverſiam hâc ratione fuiſſet vocatum.

§. XI. *De Nervorum principio* quomodo à corde & quomodo à Cerebro; Item, an à medulla magis, an vero à Cortice Cerebri; non diſputo: *Ariſtotelis* ſententiam qui percipere cupit conſulat Interpretem *Alexandrum in L. de ſenſu & ſenſili*. c. 2. *ultima verba* f. 100. b.

§. XII. Cœterum non inveni quod jure in PERITIA VETERUM ANATOMICA circa *nervos* à RECENTIORIBUS deſideratum fuiſſet. *Galeni* magna in hiſce contemplandis fuit induſtria, in tantum, ut mihi perſvadeam non difficilia inventu futura, in ipſius operibus quæ ſuperſunt, Experimenta quibus *noſtræ ætatis* ANATOMICI vix dum manus admoverint. Perierunt autem Lib. 13. *Anatomicarum adminiſtrationum in quo de Nervis ex cerebro deſcendentibus*. L. 14. *In quo de Nervis à Medulla ſpinæ devenientibus* actum fuit, quorum *in tractatu de libris propriis* c. 3. init. meminit, in cujus capitis fine etiam mentio fit *libri* 18. *ex Marini Anatomicis de ſingulorum nervorum differentiis & unde quidam eorum exoriantur.*

§. XIII. Illud ſolùm hoc loco adjiciam, quod qvum *Galenus Nervorum recurrentium Inventor* à pleriſque credatur, (vid. *Bauhinus Theat. Anat.* L. 2, 19 p. 402. 403. & *C. Hoffmanni Comment.* in 7. *de uſu part.* c. 14. & 15. n 476) *Accorambonus* tamen Interpres *Ariſtotelis* t. 413. f. 688. Eosdem Nervos & *Philoſopho* cognitos fuiſſe affirmet.

§ XIV. Denique & *in Nervis meatus*, atque per hos ex arteriis in Nervos Spirituum tranſitum, Veteribus fuiſſe cognitos, ſalvô Sangvinis circuitu, illud itidem *Galenus* adverſus *Eraſiſtratum* diſputans teſtatum reliquit.

§ XV. *Galenum* quidem, uti Cap. X § XI. & XIII. attigimus, præconcepta de Venis faſcinavit opinio, unde & ab his Nervos alimentum trahere voluit; Propiùs *Eraſiſtratus* Veritatem intuitus, uti l. c. diduximus,

Digitized by Google

ximus, circuitum ſangvinis rectè diſtinxit, & ab arteriis in nervos Spirituum commeatum dari per certos ductus demonſtravit; quamvis *Galenus* abſurdi quidpiam *Eraſiſtrato* affingere allaboret, quod Venarum, Arteriarum, & Nervorum confinia ſtatuerat.

§. XVI. Juvabit locum adducere & *Lectoris* judicio reliqua permittere: extat ille in *Galeni* L. 2. *de Nat. Fac.* c. 6. p 406. 407. *Atque Venæ quidem nobis ita nutriuntur, ſanguine ſcilicet, quem in ſe habent, fruentes. At Nervi quomodo nutriuntur? neq; enim in his ſanguis habetur. Nobis namq; in promptu eſt reſpondere: quod trahendo à Venis; ſed hoc illi non placet. Quidnam igitur hic comminiſcitur? nempe Nervum in ſe venas arteriasq; habere, veluti catenam ex tribus diverſis natum loris contextam. Ex hâc etenim ad Diſputationem ſumpta hypotheſi, putavit ſe tractum poſſe declinare. Neq; enim amplius Nervum, cum ſanguinis Vas in ſe habeat, ſanguinis alterius, qui extrinſecus ex vicina vera vena confluat, indigere, ſed ſatis illi ad nutrimentum eſſe, vas illud confictum, quod ratio comprehendat. At hic rurſus alia difficultas hominem excipit. Hoc namq; ipſum exiguum vaſculum ſe ipſum quidem nutriet: ſimplicem verò illum, qui ipſi adjunctus eſt nervum vel arteriam, fieri nequit, ut nutriat, niſi iis inſita quadam trahendi nutrimenti vis ſubeſſe concedatur. Nam ſucceſſione ad id quod vacuatur, quo pacto attrahere alimentum queat ſimplex ille Nervus, ad eum modum quo compoſitæ venæ? nempe* QVIA CAVITAS QVÆDAM IN ILLO EST, IPSO AUTHORE. *At ea cavitas Spiritu animali plena eſt non ſanguine.* H. I. Conf. p. 410. ſeqq. Vera ſententia *Eraſiſtrati* illa fuit, quod Venarum, & arteriarum extrema nervis quidem ſint implicita; ſed quod arteriæ in venas ſanguinem ſuperfluum, in nervos verò Spiritus transfundant, eumque in finem nervos Cavitatibus quibusdam eſſe præditos.

§. XVII. De quibus nervorum Cavitatibus optimè *Cæſalpin. Art. Medic. ſpecul.* L. 5. c. 36. *Si neceſſaria eſt Spiritûs ſubſtantia ad motum præſtandum, ut Ariſtoteles oſtendit in Lib. de Communi animalium motu, non ſunt negandi* MEATUS IN NERVIS, *licet non ſint conſpicui, ut in venis & arteriis* &c. H. I.

❧ (o) ❧

REctè diſquiris quæ ſint primordia vitæ
Dum Parcæ vitæ ſtamina plura ſecant.
Scilicet Officium Medici eſt ut conſulat arte
Cum Bellona ferox ſævit & interimit.

*His Doctiſſimo Domino Reſpondenti applaudere voluit*

FRIDERICUS LEPNER, Med. D.
& Prof. Prim. h.t. Facult. Decanus.

---

PRæmia ſi *vendunt* ſua *Dii* ſat magna *labori*,
Quô SUPERûM redimat munera KUNTER habet:
MUSARUMq; adeò felix commercia miſcet,
Quum labor HUIC præſens ſufficiat pretium.

*Induſtrio ſuo Auditori proſpera quæq; ominans*

PHILIPPUS JACOBUS Hartmann /
Phil. & Med. D. Fac. Med. Adjunctus & Extraordinarius, Hiſtoriarum verò Ordin. Prof.
h. t. Fac. Phil. Decanus.

---

*Ad Per-Eximium & Præſtantiſſimum*

## DN. RESPONDENTEM.

ESt aliquid, proprias rerum cognoſcere cauſas
Ac quodque ad fontes poſſe vocare ſuos.
Eſt majus, praxi tractare fideliter artem,
Atque ſuos ægris amplificare dies.

Aſt

Digitized by Google

Aſt alios inter Medicos caput extulit omnes,
Arcto qui nexu junxit utrumque ſibi.
Hoc KUNTERE facis; pergas hanc texere telam,
Et Patriæ quondam præmia digna feres.

*Lmq; f.*
M ANDREAS HEDIO, Log. & Philoſ.
Primæ P. P. Ordin. Fac. ſuæ Senior, Electoral.
Alumnor. Collegii & Convictorii Inſpector Primarius.

---

SCripta Scholis Veterum præſens ejecerat ætas;
HARTMANNUS Priſcis vindice vidit opus:
Vidit & hoc magno, magnô Polyhiſtore dignô,
Cur non jam vacuô munere fungar? ait.
Hôc dictô Phœbus conſvetô lætior: ipſa
Applaudit Medici priſca corona chori:
Sat Phœbus noſtro tandem proſpexit honori:
Jam Scriptis noſtris redditus omnis honor:
KUNTERUS noſtram tantô ſub Præſide cauſam
Orans; acceptus noſter Alumnus erit:
Huic feret auxilium Peripatus & ipſa Sophia,
Mordax ſi quando preſſerit invidia

*Hic Praſtantiſſimo Dn. Reſpondenti ſuo perquàm induſtrio in doctrinâ de demonſtratione Auditori, jactis egregiè in Philoſophiâ pariter & Medicina fundamentis, inſigne Specimen Eruditionis, Specimen edenti feſtinabundus gratulabatur*

M. CHRISTIANUS HELWICH,
Domn. Pruſſ.

(o)

99 957650
1064.1

1064.1

Digitized by Google

Digitized by Google